



Illustris et Incomparabilis VIR,
Virtutum et Litterarum Decus,

Nescio equidem quibus satis titulis divinae Mentis tuae doctes exprimam. Transcendis quicquid Magni nostri Sabent, doctrinâ; quicquid Docti, Virtute. Sola Humanitas lassare Elogia queat, quae verae doctrinae foetus est, Virtutis commendatio ac martyrema: ita tibi agnata, ut exemplo tuo omnes Homines doceas, quid sit hominem esse, et Deum referre. Omnia sublimia mihi MAXIMILIANVS meus, et pleno ore: qui cum iam TVVS sit, pluribus non est commendandus. Siquid etiam muneris nactus, quod Beneficio et auctoritate Principis administret, sedem figere in territorio Diesthemensi poterit, et felix esse. Tu nobis sic igitur fortunae Supus architectus esto, et patere me tibi in filio, filium in me simul obstringi. Hoc utriusque votum est, ne plura dicam. De MVNITIONIBVS LINEAS has scripseram: nefas putari non mittere; cum omnia debeam, et tu omnia exigas. Sed ut attollas oculos, Lunae Sanc faciem vide, à MICHAELE FLORENTIO LANGRENO, Mathematico Regio, et Amico meo singulari, observatam. Inter tot Lumina, tuum illi nomen lumen est, et in regione Sapientiae splendet. Hic simul HEINSIVS, VOSSIVS, BARLAEVS, et selectae notae Viri. NASSAVII ingenti monte Sinum Bataricum sustinent. Sed quid ego ista? Abundè Auctor; qui Principes Europae ad Caelum erexit, et cum Principibus Musarum voluit filios legi. Illum Tuum, illum gloriae Belli Clarissimum, peculiari exemplari venerari ausus, aditum ecce tua Benevolentia quaerit: et nonne impetrat? Hunc favorem ingenium viri meretur. Vale, et me etiam in LITERS meis ama. Lovanii, in Arce, III. Kal. Iunii, M. DC. XLV.

Hug. 37.

Nobilissimum filium tuum tam insigni
honore à Principe auctum gaudemus omnes:
quem utinam Brevis sic complectamur! Utinam Patrem!

Divini Genii tui summus Cultor

E. Puteanus.

}



Faint, mostly illegible handwritten text in Latin script, possibly a letter or manuscript page. The text is written in a cursive hand and is significantly faded. There are some faint markings and a vertical line drawn through the center of the page.

